

riodum nati, aut definit tempus alterius cuiuscunq; euentus, si id in æquinoctialis partes seu tempora reducatur, & pro singulis temporibus annus Solaris, mensis, dies, aut hora, pro ratione & quantitate earundem partium accipiatur. Quando stella seu aspectus quispiam in consequentibus signis deducitur motu diurno ad consimilem situm Hylegij, tunc tempus quod interea elabitur simpliciter, sicut dictum, definit annum futuri euentus, ideoq; hic progressionis modus dicitur à Græcis ἀκτινοβολία, id est, radiorum projectio, quod sine alia obseruatione ex sola radij deductione ad consimilem situm Hylegij tempus futuri euentus colligatur. Sed quando contra Hylech motu diurno deducitur ad consimilem situm stellæ aut aspectus in signis antecedentibus, tempus quod interea elabitur, non definit tempus futuri euentus, sed si bonis planetis, aut eorum aspectibus prius occurrat Hylech tempus excrescit. Si malis aut eorum infaustis radijs, tempus decrescit ratione distantie planetæ, seu aspectus ab Horoscopo & temporum, ac horarum inæqualium. Dicitur autem hic progressionis modus ὀπισθοδρομία, quod præter progressionis tempus obseruentur horaria tempora locorum addentium uel diminuentium. Nam si planeta aut aspectus in ortu sit, quotquot fuerint horaria tempora eius diurna in diurnis natiuitatibus, aut nocturna in nocturnis, tot annorum numerus integer addendus est ad annos inuentos per progressionem Hylegij ad locum in antecedentia, & quot deinde horis ab Horoscopo distiterit planeta addens uel minuens, tot decedunt horarijs temporibus asses, ita ut in occasu nihil remaneat quod tempori prædicto addatur, uel ab eo dematur. Priori modo progressionis seu directionis (ut demus directionem significare progressionem, quia ita usu est receptum) utitur Ptolemaeus in inquirenda periodo nati, quando Hylech inter medium cœli & ascendens fuerit, quia locus interimens peroritur supra Hylech. Posteriori uerò, quando Hylech est inter medium cœli & occasum, uult enim in tali Hylegij situ eum tantum zodiaci locum, qui sit in occasu tantum interimere. Porro notandum etiam quod Hylech aut alius locus, cuius progressio consideratur, dicitur significator. Sequens autem locus, uel antecedens ad quem fit respectus, dicitur promissor. Quod autem supra diximus, hos progressionis modos, generales dici debere, fecimus ut esset, discrimen inter eas progressiones, & progressiones annorum, mensium, & dierum quæ uulgo uocantur Profectiones, quasi non sit eadem progressionis & profectionis significatio. His, quo rectius intelligantur Ptolemæi aphorismi, explicatis, proponemus deinceps breuem formulam dirigendi cum exemplo, uberiora uerò præcepta requirant studiosi in Tabulis Regiomontani de directionibus.

D d

Ad